



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ  
Principia Et Usum**

De iudiciis criminalibus

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii [u.a.], 1766**

Titulus XVIII. De Perjurio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68185)

**TITULUS XVIII.  
DE PERJURIO.**

*Conf. Lib. II. Decretal. Tit. 24. In Sext.  
Tit. 11. In Clement. Tit. 9.*

§. 228.

*De Per-  
jurio*

**I**N præcedenti opusculo fuisse dictum est de Juramentis in genere, & in specie Tit. XXVIII. & XXIX. Unde cognita jam eorum natura, breves esse possumus, loquendo de Perjurio, ejusque pœna. Perjurium est *dolosa juramenti violatio*. Non sufficit quæcunque culpa; sed requiritur dolus, ut quis scilicet scienter mendacium juramento firmet; absque discretionem juramento aliquid promittat; aut juratam promissionem studiose non exequatur. Cum ad Juramentum invocatio Divini nominis requiratur, consequens est, perjurum non dici, qui absque Contestatione divini nominis perfidiam committit.

---

3. tract. de Benefic. Eccles. P. Mgr. CHOR FRIDERICH *Quæstiones Canon. de Simonia*. CHRISTIAN. LUPUS tom. 4. *Dissert. 2. item de Simonia Monasteriorum* tom. II. JOANNES PONTAS *Dictionar. Cas. Consc.* tom. 3. *Verb. Simonia*

mittit, qui falsum scienter affirmat, vel promissionem violat sub clausula, fide mea nobili, Sacerdotali &c.

§. 229. Apud Romanos olim *Leges Romanæ* de perjuriis notio fuit, qui *mana*: nulla de re diligentius, quam de iurarejurando judicabant (16.). Postea TIBERII tempore, impune crimen tulerunt perjuri. Nam cum Rubrius argueretur, violasse perjurio nomen AUGUSTI, disseruit in senatu TIBERIUS, *Jusjurandum perinde æstimandum, quam si Jovem sefellisset: Deorum injurias Diis cura* (17.). Demum extra ordinem ea vindicare cœperunt; variorum dein Imperatorum Constitutionibus castigata. Dicit quidem Imperator ALEXANDER (18.): *Jurisjurandi contempta Religio satis Deum ultorem habet; periculum autem corporis, vel majestatis crimen secundum constituta divorum parentum meorum, etsi per principis venerationem quodam calore fuerit pejeratum, inferri non placet.* Per hæc verba non vult Imperator, ut perjuria maneant impunita ab humanis Judicibus, sed

§ § solum-

16.) CICERO lib. 3. de Offic.

17.) TACITUS lib. 1. Annal. n. 73.

18.) L. 2. C. de reb. cred.

solummodo vult, ut perjuria inconsulta & calore facta relinquuntur ultioni Divinæ. Consonat Lex ejusdem ALEXANDRI 19.) , ubi qui inconsulte per Principem juraverat, & Juramentum non impleverat, non censebatur majestatis reus.

*Leges ho-  
diernæ  
Juris  
Civilis,*

§. 230. In quibusdam casibus leges Civiles certam pœnam constituunt perjuris, veluti venientibus contra jurata pacta aut transactiones libere initas: ejusmodi enim perjurus non solum notetur infamia, verum etiam actione privatus, restituta pœna, que pactis probatur inserta, & rerum proprietate careat, & emolumento, quod ex pactione vel transactione illa fuerit consecutus 20.). CAROLUS V. 21.) perjurum in causis civilibus ad restitutionem perjurio acquisite damnari, honoribus privari, & infamia notari; in causis criminalibus pœna Talionis puniri vult; nec derogat consuetudini amputandi duos digitos, quibus erectis jusjurandum fuit præstitum: in-

19.) L. 2. ad Leg. Jul. majest.

20.) L. 41. C. de transact. L. 17. C. de Dignit.

21.) Constit. Crimin. art. 107.

intelliguntur autem nomine digitorum, extremi eorum articuli.

§. 231. Jus Pontificium Perjuros *Et Juris Ecclesiastici.* in foro pœnitentialem punit jejuniis quadraginta dierum in pane & aqua 22.). In foro externo Clericus deponendus est ab Ordine & Beneficio 23.). Episcopus de perjurio gravius, quam alii, est puniendus 24.). Omnis Perjurus excluditur a testimonio dicendo, præsertim in criminalibus, etiam si censeatur emendatus 25.), quia infamiam incurrit 26.). Qui alios ad falsa testimonia, vel perjuriam attraxit, vel quacunque corruptione sollicitavit, usque ad exitum vitæ non communicet

---

22.) C. 18. VI. q. 1.

23.) C. 12. dist. 81. An Clericus perjurus beneficio privandus sit, vel ipso jure privatus censeatur vid. FELIN. in C. 2. de Rescript. & in C. querelam. 10. de jurejur. ABBAS Panorm. in utrumque istud Capitulum. De aliis etiam pœnitentiis Ecclesiasticis perjurio impositis, agit SUAREZ de Religione tom. 2. tract. 5. lib. 3. c. 20.

24.) C. 12. de Jurejur.

25.) C. 54. de Testib.

26.) C. 9. III. q. 5. C. 17. VI. q. 1.

cet 27.). Hæc & similia alia intelligenda sunt, si perjurium ordine judiciario comprobatum, aut notorium sit: extra notorietatem facti vel juris, non deberet, qui ejusmodi reatum contraxit, post peractam poenitentiam in jam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri (28.). Varios casus, in quibus ille, qui contra juramentum videtur agere, reatum perjurii non contrahat, retulimus in priori opusculo de Jurjurando.

## TITULUS XIX.

### DE SACRILEGIIS.

*Conf. Lib. V. Decretal. Tit. XVII.*

§. 232.

*Sacrilegiam*

SACRILEGIUM ex primæva nominis sui etymologia significat furtum rei sacræ: extendi tamen solet hoc nomen ad significandam quamlibet injuriam aut violationem rei sacræ, ita ut omne peccatum contra religionem dici possit sacrilegium. Cum autem per rem sacram hoc loco non

27.) C. 7. XXII. q. 4.

28.) C. ult. de Tempor. ordinat.